

eam maxime illustret, nobilitet, et exaltet? Jam vero Virgo Maria efficit, ut Dei Filius cum humana natura tam vili se desponderet, adeoque frater secundum carnem et propinquus noster fieret. Verbo enim *fiat* copulavit nuptias inter Dei Filium et naturam humanam. Nonne ergo ad summos honores naturam humanam extulit? Neque vero hoc connubium Dei Filio ut persuaderet, multas machinas adhibuit; unico verbo effecit: *Fiat mihi*. Privilegium est regum, ut unico verbo nobiles et doctores creare possint: Maria unico verbo nos Dei fratres fecit, summaque nobilitate ornavit.

VI. Hoc eodem verbo contrivit caput serpentis, quod prædictum de ea fuit, Gen. III. *Ipsa conteret caput tuum*, sua nimirum virtute et consensu, de congruo merendo, ut ex ipsa Deus carnem assumat, qui serpentem illum mactet. Facit ad hoc explicandum, quod scribit Scaliger, exereit. CXCXVI. his verbis: «Venenatorum serpentum est hostis accerrimus chameleo. Is ex illis unum quempiam speculatus in umbra captantem auras, in radiis apricantem, in eam scandit arborem quæ illi imminet, unde ex ore demittit filum, araneorum more, in cujus fili extremo guttula sit, margaritæ splendore: ea tactum in vertice serpentem mori.» Chamæleo Græce est *humilis leo*. Nec male comparari potest B. Virgini, quæ per suam humilitatem leo et accerrimus hostis facta est dæmonibus, dum Filium optatissimi sermonis ex ore suo demittit dicens: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*; ecce tibi ad finem ejus fili margarita splendidissima, Dei Filius in carne pependit, ut sic dicam: quo mediante, Maria serpentis caput contrivit. Porro ad verbum virginis *fiat*, mox incarnatum esse in utero ejus Verbum Dei testatur imprimis S. Gregorius Thaumaturgus, ser. 1. de annuntiat. «Sic ipsa Verbum suscepit, inquit, et pretiosam margaritam produxit, puta Christum. Sicut enim margarita ex duabus naturis, scilicet ex fulgure et aqua conflatur; sic Christus ex deitate et humanitate.» Accedit S. Joan. Damascenus, orat. 1. de nativitate. *Lætetur, inquit, mundi mare: in ipso enim concha gignitur, quæ cælitus ex divinitatis fulgore concipiet, et Christum ingentis pretii unionem pariet.* Ita hæc margarita quidem, hoc est, Christus, serpentem illum antiquum occidit immediate et propria virtute; B. Virgo autem mediante Christo. Nihilominus tamen recte etiam id tribuitur Mariæ, sicut nex serpentis chamæleon-ti, quia ex ore gignit margaritam illam seu guttam, quæ serpentem necat: et sicut sanitas profecta a fructu ligni vitæ tribuitur etiam ipsi ligno seu arbori. Judith Holoferni caput pugione ejus

abscedit; Maria vero Lucifero unico verbo *fiat*. Quare si prædicatur, et jure quidem, potentia et magnanimitas Judithæ, quanto magis prædicanda erit potentia Mariæ.

Ecce, auditores, quanta et quam miranda effecerit Maria, unico hoc verbo. Possemus etiam nos res sæpe magnas perpetrare, si verbum hoc enuntiare et revolvere nos vellemus. Omnes volumus salutem consequi; verumtamen, ut ait S. Aug. 1. VIII. conf. c. VIII. *Deest nobis velle fortiter et integre. Et mox ut vellem, possem, quia mox ut vellem utique vellem.* Omnia possemus in Christo, modo diceremus: *Fiat*. Rem sane difficillimam aggressa fuit Judith, quando in castrum Holofernis exiit ut eum decollaret: id tamen feliciter effecit, quia fortiter se resolvit ad id faciendum, nixa oratione sua et suorum: pari modo et nos non difficile expugnabimus hostem tartareum, modo velimus et dicamus: *Fiat pax*, fiat confessio, fiat emendatio, fiat eleemosyna, fiat quod mihi dictum est a confessario et concionatore.

CONCIO III.

QUANTA BENEFICIA B. VIRGO SUO ASSENSU NOBIS CONTRULERIT.

I. Facta est nobis mulier illa, conterens caput serpentis. — II. Facta est nobis aura. — III. Facta est quasi nubecula Eliæ. — IV. Facta est quasi navis institoris. — V. Facta est quasi Esther regina.

THEMA.

Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.

Dies hodierna nuntius est veris, jam incipientis. Unde hortulani jam incipiunt hortos, agricolæ agros, vinitores vineas colere; siquidem dies longiores jam fiunt noctibus. Sol incipit terram calefacere atque aperire, pulso hiemali frigore. Neque solum naturalis, sed et mysticum verum annuntiat nobis dies ista. Nuntius enim de cælo missus, et respondens illi Deipara, annuntiat nobis verum gratiæ, et evangelium regni cælestis; adeoque superatæ asperæ hiemis, quæ viguit sub lege veteri et gentilitate. Id quod Cant. II. indicat sponsus sponsæ, Christus animæ, dicens: *Jam hiems transit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra.* Solet certe turtur esse veris nuntia: sed quæ illa turturis vox, quæ annuntiat verum evangelicum? Non alia sane, nisi vox illa Mariæ: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Hac enim voce

non solum nuntiat, sed etiam suo modo affert et facit nobis verum lætissimum gratiæ. Itaque sicut ineunte vere lætantur omnes, magni æque ac parvi; illi cum agros colere, isti cum ludis animum recreare incipiunt: ita nos jure merito hodie lætamur; sed et habemus quod agamus ingentes Virgini Mariæ propter istam vocem gratias. Si consideremus statum mundi ante Christum natum, tunc non nisi austera hiems erat, in qua si cælum aspiteres, totum erat nubilum, et ignorantie tenebris oppletum, idololatria et superstitionibus plenum: si terram, undique luto conspersam, libidine, turpitudine, injustitia, tyrannide: si arbores omnes spoliata floribus et frugibus virtutum: si aquas, undique concretæ torpore et algore malitiæ ac pertinaciæ. Nimirum sol justitiæ Deus longissime ab hominibus recesserat, exigentibus illorum peccatis, postquam a veri Dei cultu recesserunt: et licet enim cognovissent, non tamen coluerunt; ideo: *Tradidit eos in reprobum sensum, ut facerent ea, quæ non conveniunt*, ut Paulus ad Rom. 1. docet. Unde factum, ut omnes nationes mundi, præter Judæos, in via perditionis ambularent; imo et plerique Judæi, qui jam tunc perversissimi erant, et falsa non solum dogmata habebant, sed mores reprobos.

I. Ergo Virgo Maria facta est nobis hodie mulier illa, de qua in exordio mundi dixit Deus ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum*, Gen. III. Quæ est hæc mulier? Non sane Eva, quæ nec per se, nec per semen suum contrivit ullum serpentem. Maria igitur Virgo est, quæ suo solius, non adjecto viri semine, Christo videlicet, quem hodie concepit, contrivit caput tartarei serpentis. Ita in eum locum S. Leo Pp. «Inter ipsa primordia mundi, inquit, præsignavit Deus denuntians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum, Deum hominemque designans.» Serpens ille antiquus non solum insidiatus est Evæ calcaneis et posteritati, sed etiam in eo maximam stragem edidit, innumeros ejus filios necando, et ad interitum trahendo. At B. Virgo filium talem, formatum ex semine et sanguine sui solius, hodie concepit, qui furorem et superbiam serpentis illius compesceret. Servit huic rei declarandæ mira ciconiæ alicujus industria, quam refert Oppianus, apud Aldrov. in ornith. de ciconiis. Hæc cum supra tectum aliquod nidum suum haberet, et per æstates aliquot adverteret se absente pullos suos a serpente, qui sub tecto habitabat, enecari et depasci, attulit sequenti vere avem secum igno-

tam his terris et peregrinam, longo et acuto rostro fortem alis et pectore. Hanc posuit in nido, velut custodem pullorum, dum ipsa ad pastum evolat, cibumque illis defert. Accidit ut serpens, dum abest ciconia, more suo irreperet ciconiæ nidum, ad pullos devorandos. At invenit ibi custodem illum, peregrinam avem, cujus acuto rostro, dum in eum pugnat, adeo confixus et dilaceratus est, ut pœnas temeritatis suo interitu dederit. Diximus quis serpens Evæ filios persecutus sit et misere confecerit. Quid agis Eva? Cur non succurris filiis tuis? Cur non conficis serpentem? At tu non es mulier illa de qua dictum est: *Ipsa conteret caput tuum*. Maria est Eva altera. Hæc suo assensu adduxit hodie de cælo avem peregrinam, forti pectore et acuto rostro, Dei scilicet Filium in utero suo. Iste est, qui serpentem illum stravit, et ad pedes suos prostravit, qui eos gementes et vociferantes compescuit, et undique e corporibus ejecit, denique morte sua omnino contrivit. Vidit hoc in spiritu Isaïas, cum in persona Dei loquens, dixit, cap. XLVI. *Annuntians ab exordio (mundi scilicet) novissimum (Christum, vel quod novissimo tempore fiet) et ab initio, quæ necdum facta sunt, dicens: Consilium meum (mittendo Christo) stabit, omnis mea voluntas fiet. Vocans ab oriente avem (hoc est Christum, qui visitavit nos oriens ex alto, ut exponit S. Cyrillus et Hieron.) et de terra longinqua virum voluntatis meæ.* Ad litteram quidem intelligit per avem, Cyrum Persarum regem, per quem Babylonios constituit punire atque exterminare; mystice tamen per Cyrum Christum demonstrat, per quem Satanæ regnum destruere decrevit.

II. Facta est nobis quasi aurora, juxta id Cant. VI. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Primo, quia aurora advehit solem; ideo a poetis *currus solis* appellata, pellitque tenebras: ita Virgo Maria advexit nobis Christum suo illo assensu, dispellere cœpit tenebras ignorantie ac peccatorum. Quid enim Christus erat nisi lux hujus mundi? Sine eo mundus quid, nisi Cimmeriæ et Ægyptiæ tenebræ forent?

Secundo, quia ut aurora vapores resolvens, dum ex iis rorem plantis inspergit, easque fecundat; unde aurora quasi aura rorans dicitur: ita B. Virgo post suum assensum suavissime incarnati Verbi nuntio, aspersit, Elisabetham et Joannem, ejusque domum totam, deinde sponsum suum Josephum, denique pastores, magos, Simeonem, Annam aliosque fideles. Collegerunt illi hunc rorem veluti apiculæ, et dulcem sibi inde mellis favum confecerunt gaudii spiritualis: ut partim in Deo exultarent, partim præ gaudio mori putarent, partim præcones Christi fierent.

Tertio, quia sicut aurora fugere cogit feras noctu grassantes in sua latibula, ne damna inferant hominibus, provocat vicissim aves ad concinnendum, aliosque animantes lucis amantes ad pastum et laborem: ita B. Virgo suo assensu Christum mundo invehens, stygiis illis belluis, nocte ignorantiae grassantibus, terrorem injecit: sanctas vero animas ad Dei laudem decantandas excitavit, uti Zachariam et Elisabetham, Simeonem et Annam, denique ss. angelos aliosque Dei servos. Hinc Canticum: *Benedictus Dominus Deus Israel: Nunc dimittis: Gloria in excelsis*; et quod ipsamet cantavit: *Magnificat*. Quod si tres illi pueri e Babylonica fornacis incendio liberi invitarent omnes creaturas ad benedicendum Deo; multo fortius id praestitit Maria, per quam Deus longe majora contulit beneficia in humanum genus.

III. Facta est nobis quasi nubecula illa, quae ad preces Eliae ascendit e mari, et effudit pluviam copiosam post trium annorum et sex mensium siccitatem, III. Reg. XVIII. secundum Joannem episcopum Hierosolymitanum, de instit. mon. c. XXXIII. nubem esse Mariam discimus ex Isaia, c. XIX. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum*. Nubes e mari ascendit amaro, nihil tamen amaritudinis inde trahit aut secum vehit: ita Maria nullam contraxit labem originalem, licet genita a parentibus, qui labem illam incurrerant. Ante illam nubeculam nulla apparebat spes pluviae: *Quia nubecula illa mater Jesu*, ait citatus episcopus Joannes, *non fuit a puero visa nasci in prima illa aetate mundi; ideo puer dicit: Non est quidquam*. Nubes illa fuit quasi *vestigium hominis*, seu ut Pagninus legit *vir*. Maria, ait idem episcopus, *in hoc suo spiritali assensu, non feminam, quam imitaretur, sed hominem divinum habuit exemplum*. Vere enim virum potius quam feminam se praestitit in suo consensu. Puer nuntiavit Eliae nubis ascensum: angelus a Virgine reversus in caelum nuntiavit Deo Virginis assensum. Cucurrit puer septies, donec videret nubem; angelus nuntiavit Mariae obumbrationem Spiritus sancti gratia septiformem. E nube exaltata secuta est pluvia diu terrae desiderata. Maria salutata postquam assensum dedit, pluviam Verbi divini in terram detraxit, tamdiu expetitam a patribus, Is. XLV. *Rorate caeli desuper, et nubes pluant justum, quam, qua universa terra irrigata, fecundata et vivificata est*.

IV. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum, sicut ait Sapiens, Prov. XXXI. et exponit de B. V. d. Bonavent. in serm. I. de ipsa V. S. Bernardus in Salve. Sed qua ratione?

Primo navis tam in puppi quam in prora acuminata et angusta est. Navis ergo facta est, quia

tam in principio, quam in fine hujus salutationis humilitatem suam ostendit: initio, cum turbata est in tam honorifica salutatione, quasi sibi minime debita: in fine, quando demum respondit: *Ecce ancilla Domini*.

Secundo, navis erat vacua, quia virginitati obstricta, quam etiam praetendit, et hoc ipso digna effecta est, ut caelesti pane impleretur et absque detrimento virginitatis Mater Dei fieret.

Tertio, navis institoris, seu mercatoris, quia divinum illum panem modo aliquo mercari debuit, sese disponendo per heroicis virtutum actus, ut Mater Dei in executione fieret. Quibus vero monetis panem illum emit? Offerendo sanguinem et corpus suum ad serviendum Dei Filio ancillae instar; deinde, intellectum captivando ad credenda ea, quae dicta erant ipsi stupenda; denique, voluntatem suam ad sufferendas omnis generis miseriae, passiones et dolores una cum Filio suo.

Quarto, impleta est pane illo divino, quando assensum angelo dedit ut Dei Mater fieret, pane inquam vivifico, quem mundo peperit ac deposuit in *Bethlehem*, hoc est, *domo panis*. Unde Sanctus Gregorius, homilia VIII. in evangelia ait: « Bene in Bethlehem nascitur, id est, in domo panis; ipse enim est, qui ait: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. »

Quinto, portavit panem suum, quia sola absque viri opera illum concepit: rursus, panem suum, quia suum sanguinem ipsi communicavit. Unde quoties in eucharistia comedimus carnem Christi, toties comedimus et carnem B. Virginis, quia caro Christi desumpta et decisa est de carne Matris et nutritis suae, velut sureulus ex arbore. Ipsa ergo est, quae nos pascit sua carne Filio communicata, in s. communione. Hinc Sapiens, ubi eam dixit factam esse quasi navim institoris portantem panem suum, immediate subjungit: *Et de nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis et cibaria ancillis suis*; praedam, hoc est, cibum, seu ut in Hebr. est *escam ferinam*. Fecit hoc Maria, quando: *Noctu excipiens incarnationis Verbi ab archangelo nuntium, illi assensum praebens, Verbum in se incorporavit, ut illud in escam nobis proponeret in eucharistia*, ait ibi P. Cornel. a Lap. Bene autem appellatur Filius ejus *praeda et ferina caro*, quia cibum est delicatissimus, et cibum regum ac nobilium de caelo allatus, et multa Virginis industria, quasi venatione comparatus. Ferventissima oratio, ardentia suspiria, amor virginitatis, summa humilitas, maxima fides, promptissima obedientia, similesque virtutes, catelli ejus fuerunt, quibus praedam illam ferinam cepit. De hoc B. Petrus Damiani, serm. II. de nativitate B. V. ita concludit: « Hic, dilectissimi fratres mei, hic,

rogo, perpendite, quam debitores simus huic Beatissimae Dei Genitrici, quantasque illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus Christi, quod Beatissima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod fasciis cinxit, quod materna cura nutrit; illud, inquam, absque ulla dubietate, non aliud nunc de sacro altari percipimus, et ejus sanguinem in sacramentum nostrae redemptionis haurimus. Hoc catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fideliter docet. Nullus ergo humanus sermo in laude ejus invenitur idoneus; de qua mediator Dei et hominum cognoscitur incarnatus. Impar est illi omne humanae linguae praekonium, quae de intemeritate carnis suae visceribus cibum nobis protulit animarum; illum videlicet, qui de semetipso dicens: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi; si quis ex hoc pane manducaverit, vivet in aeternum. Per cibum namque e paradisi sumus amenitate dejecti; per cibum quoque ad paradisi gaudia reparati: cibum comedit Eva; per quem nos aeterni jejunii fame mulctavit: cibum Maria edidit, qui nobis caelestis convivii aditum patefecit. »

V. Facta est hodie nobis Deipara, quasi Esther regina placans nobis Deum iratum (uti docet Sanctus Bonaventura, in speculo mar. lect. III.) Assuerus rex ad suggestionem Aman decretum fecerat, ut Judaei omnes in suo regno, quod novis uterentur ritibus, et regis sancita contemnerent, perirent, et ad inferos descenderent, Esth. III. et XIII. Deos quoque gentiles, quod ad daemones suggestiones veri Dei cultum sustulissent, et idola coluissent, Deo vero contempto, jussit omnes perire et ad inferos descendere, Ezech. III. *Impius in iniquitate sua morietur*, imo et in Adamo: *Quicumque die comederis, morte morieris*, Gen. II. Hebraeis, nisi Esther reperta fuisset, quae Assuero placuisset, ejusque iram sedasset, certe omnibus pereundum erat. Ipsa vero regis animum delinivit; et quia oculis ejus placuerat, obtinuit ut decretum rescinderetur. Nos quoque, nisi Maria Deo placuisset ejusque iram mitigasset, perissemus omnes. Invitavit Esther regem ad convivium in conclave suum, et ibi eum sibi devinxit: invitavit Maria Dei Filium in utero suum; et ibi eum nobis placavit. Verum quemadmodum Esther, ut decreti revocationem a rege impetraret, prius assumere debuit vestes pulchritudinis suae et ornamenta gloriae suae: deinde, inniti super ancillam unam, et sic ingredi ad regem magno cum pavore, necnon praetimore corruiere, et reclinare caput super ancillam: denique, virgam regis auream prius deosculari. Maria debuit splendorem virtutum suarum prius demonstrare, quam Mater Christi fieret; idque fecit in hac salutatione:

V. PARS FESTIVALIS.

in qua se ostendit supra humanum modum prudentem, humilem, virginitatis cultricem, magnanimam, fidelem, obedientem. Deinde, debuit inniti super verba angeli et divina promissione, inclinando caput, hoc est, captivando intellectum suum. Denique, offerre se ad deosculandam virgam crucis Christi; ut velut Mater ejus dolores Filii sentiret.

Superest ergo, ut hodie quam possumus maxime Deo in primis, deinde Deiparae agamus gratias pro tot tantisque beneficiis. Certe quando Judaei Estheris beneficio liberati fuerunt ab imminente periculo: *Nova eis lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium*, ut dicitur c. VIII. institutus est dies festivus annuatim celebrandus, c. IX. quo epulabantur in laetitia, mittebant sibi invicem fercula cibaria, et pauperibus munuscula. Olim et Amanis effigiem comburebant cum plausu et strepitu; imo hodie adhuc in quibusdam locis carnes fumo duratas coquunt, et pueris suis verberandas et bacillis contundendas tradunt dicentes: Haman, apud Serarium, in Esth. c. XI. q. II. Nos verberemus et comburamus Satanam, more christiano per poenitentiam: percutiamus exsuccum Haman, hoc est, enervatum daemone, piis et sanctis operibus: celebremus quoque diem hanc, in qua nobis nova lux non dico oriri visa, sed revera orta est, gaudium honor et tripudium: celebremus non in epulis carnalibus, sed spiritualibus in sacro eucharistiae epulo, in pia consideratione hodierni beneficii, in pauperum refectioe, in sanctitate denique et vita immaculata.

CONCIO IV.

BEATISSIMA VIRGO VERE ANCILLA DOMINI.

I. Quia fuit laboriosa. — II. Fuit fidelis. — III. Fuit humilis et subjecta, atque obediens. — IV. Fuit castissima.

THEMA.

Ecce ancilla Domini. Luc. I.

Nihil fere communius, quam ut alter alteri sua delaturus obsequia, se ejus servum asserat. Ita olim etiam Hebraei loquebantur, uti ad Josephum fratres: *Servi tui sumus*, Gen. ult. Ita nos Germani; ita aliae nationes. Verum voculam unam plerique omittunt valde necessariam. Quenam illa? *Ecce*, qua re ipsa scilicet servos se fidentur, opere vero pauci ostendunt, praesertim cum in necessitate aliqua obsequium imploratur

Unde de hujusmodi servis nominalibus dicens: set id Isaaci ad filium: *Vox quidem vox Jacob, manus autem manus sunt Esau*: vox hominis lævis et blandi, manus, id est, opera sunt hominis asperi et pilosi. Multi appellantur servi imperatoris (tametsi nunquam ei serviunt): interim eo nomine sibi mire gratulantur et nobiles audire volunt. Non ita Maria Virgo, quæ ancillam Domini se non solum profitetur, sed etiam demonstrat cum particula *ecce*: quia nimirum se suaque omnia ad obsequium Dei actu devovit simul et contradixit. Subjecit et intellectum per fidem, subjecit voluntatem per obedientiam et consensum in maternitatem, et cum eo se et omnia sua obsequia. Profitemur nos Dei servos et ancillas esse; sed quomodo id demonstramus videndum est et discendum a B. Virgine.

I. Ancilla debet esse laboriosa. Fuisse talem Mariam discimus primo, ex itinere ejus in montana, quod erat fere quatruidui, ut ibi serviret Elisabethæ prægnanti, maxime in puerperio. Suscepit hoc iter sponte sua, perrexit cum festinatione, serviit cum gaudio, ut colligitur ex Cantico, quod in domo Elisabethæ cecinit: *Magnificat anima mea Dominum, etc.* Audivit aliquando in Hungaria Sanctus Gerardus episcopus, pergens ad Sanctum Stephanum regem, ancillam media nocte molam versantem, et interim hilariter cantantem in hospitio, in quo diversatus erat: eaque res adeo ipsi placuit, quod femina nimirum alteri serviens laborem suum tam hilariter perageret intempesta nocte, ut mane multam ei pecuniam donarit, Sur. 24. sept. Jam Deiparam cogitate, quæ post iter tam longum et arduum erumpit in cantum et laudem Dei, quantum Deo placuerit, quantum et meruerit.

Secundo, ex obsequiis Christo Filio præstitis. Ipsa Filium enixa pannis involvit, et reclinavit in præsepio: ergo famulam non habuit: ipsa ergo Filium ex Bethlehem Jerosolymam præsentandum gestavit: ipsa lactavit, enutrivit, vestiit, ut sentiunt cum Euthymio reliqui doctores, circa vestem inconsutilem præsertim.

Tertio, ex itinere ejus laboriosissimo et longo admodum in Ægyptum peracto. Ubi enim pauperculæ currus? Ubi equi aliave jumenta? *Surge et accipe puerum et matrem ejus*, ait Josepho angelus. Non ait: Junge currum, para jumenta, quia non aderant; sed: Accipe puerum in brachia, matrem comitem; vel potius: Accipe puerum a matre gestandum in Ægyptum.

Quarto, ex sollicitudine ejus in quærendo amisso Filio. Sciebat Filium perire non posse, angelos ei ministrare, eumque reducere, ipsum per se redire ad parentes posse: at maluit reverti iti-

nere diei et quærere Filium suum, usque dum tertio die reperiret; quia et matrem se et ancillam Filii cogitabat.

Nobili adeoque regia de Davidis familia fuit Deipara; quia tamen pauper erat, laborare non erubuit. Quod notare deberent nobiles, qui sæpe egere malunt, quam honesto labore se occupare, cum non exiguo suo probro. Licet enim ipsi coram mundo domini sint et dominæ, coram Deo tamen servi et ancillæ sunt, cui suo tempore rationem reddent de impenso tempore; imo et de collatis ad operandum membris; quod expendit Alphonsus Aragonum rex sapientissimus, qui reprehensus a Marco Siculo, quod propriis manibus laboraret, subridens respondit: *Numquid Deus et natura regibus frustra manus dederunt?* Panorm. lib. de rebus ejus gestis. Si hoc rex de se, cur non potius idem de se dicant, qui inferioris conditionis sunt? *Homo nascitur ad laborem et avis ad volatum*, ait Eliphaz Job, cap. V. Homo, ait, non agricola, non opifex, non nauta, sed quivis homo. Accedit et hoc damnum, quod dum otio diffluunt, interim dæmon ad eorum animas despoliandas liberum accessum habeat. Otium pulvinar diaboli dicitur. Libro II. Reg. c. IV. duo sicarii Rechab et Baana domum Isboseth, filii Saul, dum ancilla ostiaria in purgatione tritici obdormivit, latenter ingressi, dominum ejus Isbosethum interfecerunt; ita nimirum, dum caro, quæ ancilla est, otio se tradit et labores fugit, dæmones latententes se in hominem insinuant, et animam ejus, quæ dominus est, occidunt, varique in vitia præcipitant.

II. Fidelis sit hero suo ut bona illius sibi non arripiat, sed ipsi transcribat et conservet, fideliter quoque assistat in quavis calamitate: talis Maria fuit. Nam primo laudes sibi ab Elisabetha decantatas: *Benedicta tu inter mulieres*; et: *Unde hoc mihi, ut mater Domini mei veniat ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*: et: *Beata quæ credidisti, etc.* Has omnes laudes, inquam, sibi in manus quasi depositas, mox a se removit tamquam alienas, et in fontem unde promanarant, Deum derivavit, dicendo: *Magnificat anima mea Dominum*, quasi dicat, ut Sanctus Bernardus, ser. in *Signum magnum*, explicat: « Tu magnificas Matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea perhibes filium exultasse in gaudio; sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Beatam esse dicis, quæ credidisset; sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis; ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem et exiguum respexit

Deus. » Fidelis serviet ancillæ est lucrum et redditus Domini acceptos in suis manibus non retinere, sed in manus Domini consignare? Ita decet nos gloriam ac laudem quæ in nos confertur, Deo velut fonti honorum omnium, acceptam ferre.

At vero jam istud faciunt quidem aliqui, sed non ex integro, delibant alieni aliquid et sibi attribuunt; quod non fecit Deipara, sed Deo totum adscripsit, ut vidimus. Non placeret hero ancilla, quæ fructus appositura, prius degustaret. *Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi*, ait sponsa illa, Cant. VII. Id fecit Dei Mater: matrem ergo imitentur filii. Deinde, aliqui non statim manus suas excutiunt a bonis dominorum acceptis, sed ea aliquantisper apud se retinent, at B. Virgo quamprimum laudes suas in Deum refudit.

Secundo, Christo Filio eidemque Domino suo fidelissime adfuit in periculis, ut colligitur vel ex hoc, quod cruci ejus adstiterit. Ibi ergo: « Stabat non degeneri Mater spectaculo, quia non metueret peremptorem: pendeat in cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat, » inquit S. Ambrosius, serm. de institut. virg. c. VII. Multi Christum sequuntur, sed non usque ad Calvarie montem, non usque ad mortem. *Esto fidelis usque ad mortem*, ait S. Joannes episcopo Smyrnæ, Apoc. II. (qui fuisse putatur Sanctus Polycarpus episcopus, qui et rogo impositus, affigi noluit, sed perstitit in igne: *Velut aries e grege*, ut in ejus vita dicitur, mediis in flammis) *et dabo tibi coronam vitæ*. Sic ergo honor Dei defendendus, justitia non deserenda, peccatum non admittendum, tametsi sanguis petatur.

III. Humilis sit et subjecta, et quod inde sequitur, obediens dominæ suæ. Quid humilior Deipara; quæ cum sciret se Dei Matrem, adeoque non hominibus sed angelis sublimiorem, nemini tamen se prætulit; sed omnibus posthabuit? Subjecit se superioribus, uti in primis Dei legi de subeunda purificatione, licet ea non obligaretur: verbo Filii in Cana statim acquievit; deinde, edicto Romani imperatoris, licet ipsa imperatorem cæli et terræ in utero gestaret. Subjecit se paribus, uti sponso suo, cum dixit Filio: *Pater tuus et ego*: civibus et advenis omnibus Bethlehemiticis, quibus diversoria omnia cessit, stabulo contenta: inferioribus, uti Elisabethæ, ad quam salutandam accessit, dignitate et sanctitate longe se inferiorem. In hodierna salutatione laudibus turbatur, et ancillam se nominat. Deinceps, summa in humilitate vixit, parvula in domuncula. Ubi pro tanta domina currus et equi? Ubi gynæceum et famuli? Ubi palatium et mundus

muliebris? Denique, arcanum suum, quo norat ex angelico nuntio et mirifico conceptu se esse Dei Matrem, nemini dum Christus in terra degeret, aperit; ut colligitur ex eo, quod nec fratres, id est, cognati Christi integre et sincere in eum crediderunt, Joann. VII. Nulli in aurem dixit, se hujus Filii Matrem esse, et matrem quidem sine patre. In Cana vinuma Filio expetens, non matris auctoritatem interposuit, sed ut famula preces adhibuit. Magnum miraculum, tanta humilitas in tanta dignitate! Miratur Salomon, in Ecclesiaste, cap. I. quod omnia flumina intrent in mare, et mare non redundet; quod certe mirandum est: in Deiparam omnes sanctorum gratiæ et dona confluerunt, et tamen ea propterea non se extulit vel minimum. Visitatur a tribus regibus, prædicatur ab Elisabetha, benedicitur a Simeone, salutatur a Deo, laudatur ab angelo, et tacet ad hæcomnia, quasi nil audisset, vel quasi ea ad se nihil pertinerent. Cur mare non redundet, dat causam S. Hieronymus eo loco, quia per occultos meatus iterum effundit quod accipit: sic B. V. per internas sui depressiones omnem tumorem repressit et in Deum refudit. Cogitabat enim se ancillam esse, in aliena domo et potestate esse, domo expelli posse, a Deo se accepisse præter merita sua, quidquid haberet; sic superbiam exclusit. Hujus igitur exemplo, si veri Dei servi et ancillæ esse volumus, subjiciamus nos superioribus, subjiciamus paribus, subjiciamus et inferioribus. Ita S. Bernardus, l. XXXII. in Cant. ait: « Noli te, o homo, comparare majoribus, noli minoribus, noli æqualibus, noli uni: quid scis enim, o homo, si unus ille, quem omnium forte vilissimum atque miserimum reputas, sit melior te; et in mutatione dexteræ Excelsi in se quidem futurus sit, in Deo autem jam sit? » Ad hæc quisquis se Dei servum aut ancillam agnovit, non gravate aliis omnibus se submittit, quam cogitat id fecisse suum dominum, qui se infimis etiam subdidit. Bernenses olim sæpe bello superiores de Austriacis, libenter nihilominus ac demisse, quasi victi fuissent, pacis condiciones acceptarunt. Stumpsius, in chron. anno 1339. Eodem animo Christianos omnes esse deceret; quia humilitas virtus propria Christianorum est, a magistro cælesti eis tradita: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Qui Domini sui sunt, humiles sunt, uti e contra spectant ad Luciferi partes quicumque humilitatis hostes sunt.

IV. Casta sit, ne inficiat familiam lepra libidinis. Beata Virgo castitatem, eamque virginalem Deo non solum exhibuit, sed etiam vovit, et quidem sine exemplo, prima omnium: atque ut voluit aliqui pp. in utero matris; ad eandem, ut